



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de
Inferno, Expositione Cantici ...**

Massei, Giuseppe

AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707

VD18 12383155

cap. 2. Occasione firmiùs asserendi, quod sit objectum perfectæ
Contemplationis, ostenditur hânc rationem Christo Servatori optimè
convenire.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

Caput II.

*Occasione firmitus asserendi quod sit Objectum perfectæ
Contemplationis, ostenditur hanc rationem Christo JESU
optimè convenire.*

I.

VT in hoc de Objecto Capite ad usum ipsum accedam,
sic dissero.

Contemplatio geminum actum habet, utrum-
quæ præcipuum: unus ad Intellectum spectat, & hic est
Admiratio; alter ad voluntatem, & hic est Amor. Obje-
ctum primi est DEUS, ut summè pulcher: alterius Obje-
ctum est DEUS, ut summè Bonus. Contemplatio tamen,
cum vera est, necesse non habet ad hanc distinctionem
attendere, quæ ad speculationem magis, quàm usum per-
tinet. Et idcirco Objectum Contemplationis practicè est
DEUS sub quocunque conceptu, quo quisque rapitur for-
tius ad illum admirandum, ad illum amandum, & eo fru-
endum. Hinc est quòd simili sub conceptu objectum ma-
ximè conveniens etiam Meditantium debeat esse DEUS,
si modò verum est, quòd etiam Meditantes ratiocinando
tendere debeant ad conjunctionem cum DEO, sicut illi
conjugere se curant nullo mediante, qui contemplantur,
Contemplativa vita ad solum videndum Principium anhelat.
Ita sensit S. Gregorius. Vita autem Contemplativa non
solum Contemplationem, sed & Meditationem complecti-
tur; & inauditum est, quòd non in modo tantum, sed
etiam argumento & objecto Meditatio à Contemplatione
distinguat. Quin ipsi illi, qui Meditationi æstimationem
demere conantur, ad hoc utuntur effato variorum Sancto-
rum, qui pronuntiârunt: Meditationem præmandere,
Con-

Super
Ezech. ho.
24.

2.2.q.180
2.2.ad 4.

Contemplationem gustare. Quod si verum est, idem cibus sit oportet tam Meditationis, quàm Contemplationis, nunc præmansus à Mente, nunc gustatus; atque adeò & Meditans & Contemplans eodem etiam cibo se nutriant: nam & mandere, & gustare ad nihil prodescent, nisi tandem ab omnibus verteretur in substantiam, quâ sese sustentent.

Quare quando Sancti affirmârunt Meditationem mandere, Contemplationem gustare; noluerunt asserere, quòd non eodem cibo & hi, & illi vivant; sed illud indicare voluerunt, eum qui meditatur tantùm, minùs ferè voluptatis sentire, quàm laboris; & ideò mandenti, quàm gustanti esse similiorem. Qui autem contemplatur, tantùm plus voluptatis quàm laboris experiri, atque adeò gustanti, quàm mandenti esse similiorem.

Verum tamen est, quòd ex hoc ipso argui possit, quàm longè abfuerint Sancti ab eorum hodie sensu & doctrina, qui tradunt Meditantes à Contemplantibus toto statu differre: cum intelligi non possit, quòd is qui ad mensam assidet, alio in statu sit cum mandit, quàm cum gustat; quòdque cum à gustato cibo ad mandendum redit, miser non sine ordinis perturbatione à superiore ad inferiorem statum redeat.

Sed ut illò redeamus, unde tantisper nos divelli passus sumus; observandum est, quòd quando DEUS ipse animo infundit claram cognitionem, quòd ipse sit summa Pulchritudo, summa Bonitas, & quidquid aliud vult DEUS dicere verbis illis: *Ego sum qui sum*, alio opus non sit. Hæc cognitio in omnibus plus efficit, quàm aliæ quæcunque. At quando talis notitia nostro conatu comparanda est, non est semper magis proficuum ad desideratam con-

junctionem sub his illum terminis cognoscere. Nonnulli enim aliquando magis movebuntur, si sibi objiciant DEUM ut à nullo pendentem, ut Potentem, ut Providum, ut Misericordem, ut Remuneratorem universalem, aut etiam ut humanæ naturæ conjunctum; quàm si illum ut summè pulchrum, summè bonum latius patente ratione sibi repræsentent; eâ nimirum pulchritudine & bonitate, quæ quidquid demum in ullo genere nobilitatis ac perfectionis est, sine omni prorsus defectu, complectantur.

Hinc, meâ quidem opinione, æqua lex non est: Qui non proponit sibi DEUM sub ratione quadam abstractissima, non contemplatur perfectè. Hac enim minùs Docti in errorem inducuntur; dum hæere volunt in ejusmodi repræsentatione confusa, quæ sæpe minùs illos movet, & ab iis animum abducit, quæ, pro varia habitudine præsentis, aptiora essent & efficaciora ad illos movendos, Deoque arctiùs conjungendos.

Manf. 6,
c. 6.

An non S. Teresia ad rectè contemplandum bene fuit parata? fatetur tamen ipsa de se, quod cum aliquando conaretur animum defigere in DEO sub ratione quadam abstractissima, qualem isti nostri requirunt ad enitendum ad apicem Contemplationis, valdè malè ea in re processerit: cum enim non semper eodem modo objicere sibi DEUM posset cum suo profectu, animo hinc inde aberrâsse & vagatam se esse ait, tam vanè & erraticè, ut aviculæ sibi instar esse videretur, quæ quaquaversum volitando locum stabilem & quietem non inveniret: unde tantùm abfuit, ut hoc suo conatu quidquam proficeret in Oratione, ut indies potius plus detrimenti pateretur. Ubi tamen mali causam advertit, mutavit orandi modum, mentemque iterum in Christum Servatorem constanter defixit, tanto suo comodo,

modo, ut protestata sit, carius sibi deinceps futurum fuisse, carere omni hac in vita bono, ut cetera sibi debito, quam illud consequi alterius medio ac beneficio, praterquam ejus, à quos in nos omne bonorum genus dimanavit. Usque adeò verum est, etiam personas clarissima cælitus luce perfusas, novas has regulas non solum absonas, sed etiam noxias fuisse expertas.

II.

ET tamen post hæc non deest, qui certo consilio eas taceatur, dicatque, etiam hac ætate, illum Contemplativum, qui mentem non defigat in DEUM purum purissimum, sed pergat animo volvere ea, quæ DEUS hominem indutus pro nobis fecit & passus est, perinde facere, ac si quis singulari favore à Rege vocatus ad alloquium, pro eo quòd oculos in Regem ipsum defigat, nunc regis purpuræ splendorem, nunc torquis, coronæ, sceptri aspectu pueriliter se oblectaret. Sed quæ sunt istæ re ipsa delusionis fallaciæ? si ita ratiocinari, seu argutari potius, lubet, retorqueo ego confestim argumentum, & sic dissero. Næ ille insignitè lepidus & urbanus esset, qui singulari favore à Rege vocatus ad alloquium profiteretur, nolle se quidquam Regis, quod Rex ipse non esset, intueri: atque ita confestim illum exueret paludamento, diriperet torques, coronam à capite, à manu Sceptrum abstraheret, & omnibus spoliatum vestibus seorsim in conclave aliquod secum abduceret. Sunt hæc facultatis imaginatricis mera ludibria. Ut quid igitur magno simpliciorum incommodo in medium adducuntur, qui miris modis circa illa implicantur? Nec acceditur ad orandum, ut DEUS ve-

F 3

stiat,

stiat, nec ut vestibus nuderetur: sed ut sancta sinceritate adoretur. Quare si quis trahitur ad contemplandum DEUM in suo simplicissimo esse, sinatur sane mergi in mari illo profundissimo, in quo nec angustas fauces, nec fundum invenire est; tanto enim ibi quisque est beator, quò mergitur profundius. At si is plus adjumenti capit, ut non semel accidit hominibus etiam exquisitissimæ perfectionis, in contemplatione DEI humana carne induti, non idcirco formidet, ne DEUM vivum, DEUM verum, DEUM simplicissimum non contempletur, non minùs quàm quicumque Contemplativus. Neque enim DEUS humana carne vestitus est instar Regis vestiti purpura, torque, corona, sceptro, ut dicebatur. Cuncta hæc planè penitusque à Rege ipso distincta sunt. At non ita à DEO distincta est Sacrosancta illa Humanitas, quam Unione Hypostatica pro nobis assumpsit. Hoc enim ipsum ipsissimum est, quod DEUS in ea assumenda spectavit, ut simul verè ac in ipsa substantia & DEUS esset, & Homo. De reliquo quis est, qui si cum S. Teresa contemplando velit figere obturum in Christum, non aliud spectet, quàm cogitare de Humanitate una ac sola, divellendo illam à Divinitate tanquam centonem aliquem? Discernit ille quidem probè Mytheria, quæ Christo ut DEO propria sunt ab illis, quæ ipsi ut Homini conveniunt; non tamen distinguit Christum Hominem à Christo DEO; cum Christum non nisi unum agnoscat. Hoc autem posito nunquam per omnem æternitatem verum erit, quòd intueri Christum sit tantum intueri vestem Regis, non ipsum Regem.

Non possum igitur mihi persuadere, quòd S. Teresa probatura fuisset legem, nimis sanè quàm arbitrariam, quam invenio statutam: Quando ad DEUM pervenimus,
ad

ad quem ferebatur nostra intentio, dummeditabamur vitam Christi, non oportet amplius redire retro ad considerationes de illa, quæ ratiocinando fiunt; neque enim descendendus finis est ut redeamus ad media: & qui pervenit ad aliquem locum quietis, ad quem itinere suo tendebat, non attendit amplius ad semitam, per quam illi fuit transeundum, etsi illa marmore porphyretico strata esset: quin imò quiescit, & se oblectat; nec enim amplius peregrinus est, sed inquilinus perpetuus & civis ejus loci: & si subinde viæ meminit, id eò duntaxat facit, ne ejus subeat oblivio, non autem animo illam relegendi.

Sed quid ego mentionem feci S. Teresix tantum? Nescio an Christo ipsi lex ista ullo modo probetur. Est ne igitur Christus Via, ut non sit etiam terminus in quo quiescat? Quomodo igitur de se ipse pronuntiavit: *Ego sum Via, Veritas, & Vita?* Est enim verò Ille via, qui lumine tot nobilissimarum veritatum nos ducit ad Vitam: sed simul Vita est, ad quam tanquam Via nos ducit. *Quò imus, nisi* Tract. 69. *ad ipsum, & quò imus, nisi per ipsum?* ita S. Augustinus. in Joh. Ecquis igitur metuat, ne aliò quàm ad DEUM vadat, dum ad Christum vadit? *Sequamur Domine te per te ad te:* sensu Ser. 2. de animi tenerrimo ad ipsum dixit S. Bernardus, *quia tu es* Ascens. *Via, Veritas, & Vita; Via in exemplo, Veritas in promisso, Vita in premio.* Aut ad finem nostrum adhuc aptius. *Via* Serm. 7. in *per quam est eundum, Veritas ad quam est veniendum, Vita* Cæna Do- *in qua est permanendum.* mini.

Quin libet etiam hic retorquere telum. Si enim sperat quis ita posse pervenire ad terminum qui est DEUS, contemplando, ut jam porro necesse non habeat ire per Viam, per quam ad terminum pervenit, ausim dicere; misellum illum, cum ad terminum sibi pervenisse videbitur, obser-
yaturum

vaturum se ab illo longiùs quàm unquam, ob animi elationem, distare. Itane igitur unquam venire possit illa dies, in qua per intervalla considerare Vitam Christi, etiam ratiocinando, tam non sit mihi adjumento, ut etiam sit impedimento, obici, & offendiculo ad sublimem Contemplationem? ego enimvero hoc capere non possum; sed quæ mea est felicitas, capere hoc ipsum non potuit S. Teresa, non S. Mechthildis, non S. Lyduina, non S. Ludgardis, non S. Catharina Senensis, non præ reliquis S. Birgitta Vidua, quæ vivere ante desiit, quàm ire quotidie ad audiendas Prælectiones, quas ipsi suffixus in Crucem Christus summè admirandas dictabat. Atque hac causa malo sequi exemplum harum Sanctarum, quàm regulas, quas non nemo alius mihi præscribit, non aliâ munitas auctoritate, quàm hâc, ad propositum nostrum tam non idonea, quòd nemo invento sine rationem mediorum porro habere debeat. An fortè finis noster, qui est DEUS, unquam hac mortali in vita sic inveniri potest, ut necesse non sit eum ampliùs, pauperis instar Peregrini, quærere? Haud sanè credo. *Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino, ajebat Apostolus, per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* Ex hoc ipso igitur desumendum est, quòd nunquam hac in viâ, omittenda sint media, quæ ad DEUM inveniendum nos ducunt. Tale autem medium Christus JESUS est. O quàm ego optem nôsse in hoc exilio, tam lugubri, tam miserabili, quale hoc nostrum est, hos Inquilinos Divinitatis, stabiles & perpetuos!

Quæro deinde. An non certum est, Beatos in cælo invenisse terminum, invenisse Veritatem, invenisse Vitam? quando tamen illi vel ad ictum oculi omittunt in-
tueri

2. Cor. 5.
v. 6.

sanè credo. *Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino, ajebat Apostolus, per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* Ex hoc ipso igitur desumendum est, quòd nunquam hac in viâ, omittenda sint media, quæ ad DEUM inveniendum nos ducunt. Tale autem medium Christus JESUS est. O quàm ego optem nôsse in hoc exilio, tam lugubri, tam miserabili, quale hoc nostrum est, hos Inquilinos Divinitatis, stabiles & perpetuos!

Quæro deinde. An non certum est, Beatos in cælo invenisse terminum, invenisse Veritatem, invenisse Vitam? quando tamen illi vel ad ictum oculi omittunt in-
tueri

tueri JESUM, qui fuit eorum Via? Quæ igitur insania nostra est, si in terris vel ipsis in cælo Beatis melioris conditionis esse volumus? Quamdiu Viatores erimus, tamdiu incumbet nobis attentione indefessa non Viam minùs, quàm terminum præ oculis habere.

III.

Jucundum etiam mihi est, quòd liceat horum Legislatorum authoritati opponere aliam ejus, qui ipsis profectò nihilo inferior est: Ludovici Blosij inquam, qui dum *Inst. spirit.* format Contemplativum tam eminentem, ut in DEUM *c. 6.* evolans sensuum usu destituatur, & se ipsum feliciter perdat, disertis illi verbis præscribit, ut, dum sibi restituitur, mox ad Christum revertatur: atque ita deinceps constanter pergat transire ab Humanitate ad Divinitatem, & ab hac ad illam: usque ad eò ille censet id cuilibet, quantumcunque provento, faciendum. *Expedit prorsus, ut ille nunc incomprehensibilem Divinitatem; nunc nobilissimam CHRISTI Humanitatem attendat, atque per istam ad illam ascendat, & ab illa ad istam redeat. Sic enim tanquam lignum plantatum secus decursus aquarum, flumine celestis gratiæ mirificè inundabitur.* Quamquam non Blosij tantum hic sensus fuit: idem etiam fuit S. Bonaventuræ, qui cum dixisset, non esse conditionem hominum ullam, in qua quisquam omittere debeat attentam considerationem Passionis Christi, quæ tamquam palma excelsissima mortales omnes invitet ad fructus ex ea colligendos, Peccatores quidem confusionis, Pœnitentes doloris, Proficientes doctrinæ, Perfectos devotionis, In virtutum studio consummatos conjunctionis cum DEO, tandem ita

G

con-


P. 1. *stim.* concludit: *Nullus ergo se excuset, quin hic inveniat pabu-
lum suum, quin hic inveniat portum suum, quin hic inveniat
c. 5. domicilium; nec tantum domicilium, sed centrum suum.* Et
scilicet non sit terminus, quod centrum est? Non aliam
pluribus locis suis sententiam expresserunt S. Antonius Pa-
tavinus, S. Bernardus, S. Bernardinus. Digna admirati-
one in eandem rem habet Guilielmus, inclytus Abbas S.
Theodorici, qui purgans se quodammodo DEO, quòd
cum Isaia tam propè ejus thronum non accederet: *Non
despiciant, inquit, me Domine super hoc, qui merentur te vi-
dere sedentem super solium excelsum, & elevatum Divinitatis
tuae; quia & ea, quae sub te sunt, humana dispensationis my-
steria, omni Contemplatione replent Templum cujuscunque sit
magnitudinis.*

Eant proinde, qui volunt, & excludant Christum à
ratione objecti perfectæ Contemplationis, in eorum con-
fortio, de quibus Alvarus Pelagius tanta cum abominati-
one locutus est; ego eum includam, dum spiritus hos re-
get artus cum præstantissimis quos adduxi Sanctis; imò
cum ipsa Virgine sanctissima, cum Prophetis, Patriarchis,
Apostolis, qui semper studuerunt altiùs se immergere in
Contemplationem DEI humana carne vestiti, & semper
deprehenderunt se ulteriùs prochi, antequam ad littus e-
vaderent. Nec unquam affirmabo, ex æquo bonoque la-
tas leges de Contemplatione, quas hodierni isti Magistri
tulerunt. Justæ veræque leges illæ sunt, quas Spiritus San-
ctus in divinis literis tulit. S. Paulus Apostolus pro obje-
cto contemplationis hac in vita assignavit illud ipsum, quod
est objectum contemplationis in Cælo, DEUM, & JESUM

Ephes. 4. Christum: *ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quae
v. 4. sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum; scire
etiam*

etiam supereminentem scientiæ Charitatem Christi. Quantum ad DEUM, ad cogitationes nostras firmandas, co-
 cessit Apostolus, ut in eo, qui est ipsa Immensitas, met-
 suras sibi fingeret. Et sic, interprete S. Bernardo, voluit,
 ut Contemplationis nostræ objectum esset Sublimitas Divi-
 næ Majestatis, Latitudo Pietatis, quâ nobis prospicit: De Con-
 Longitudo præmiorum, quæ nobis promittit, & Profun-
 ditas Judiciorum, quibus nos regit: Sublimitati Majestatis
 conjungitur Profunditas Judiciorum; & his respondet ad-
 miratio, Latitudini Pietatis jungitur longitudo Præmio-
 rum; & his respondet Amor. Ad Christum autem quod
 spectat, satis fuit Apostolo, ut teneremus nos in contem-
 planda illa Charitate, quæ excedit omnem scientiam. *Sci-
 re etiam supereminentem scientiæ Charitatem Christi.* Dixit
 autem quod Charitas ista supereminet omni scientiæ: nam,
 si suis res momentis libretur, ea nostrâ causâ egit Christus,
 quæ totus Mundus censuit effecta stultitiæ: Mori inter
 duos Latrones, Dominum pro servo, offensum pro offen-
 dente. Charitati in ejusmodi contemplatione respondet
 Amor, qui nos facit prorumpere in illa verba: *Quis nos* Rom. 8.
separabit à Charitate Christi? Excessui autem Charitatis ad-
 miratio respondet, quæ nobis extorquet illa: *Opus factum* v. 25.
est in diebus nostris, quod nemo credet cum narrabitur. Nec Abac. 1.
 Apostolus tantum, sed Christus ipse cum explicuit, in quo v. 5.
 consisteret vita æterna; illa nimirum Visio, quæ omnibus
 numeris Beatos nos in cælo reddit, in hac autem vita Bea-
 tos ratione quadam imperfecta, tali Visioni objectum attri-
 buit tam DEUM purum purissimum, quàm DEUM hu-
 manos artus indutum: *Hac est autem vita æterna, ut cogno-* Joan. 17.
scant te solum verum DEUM, & quem misisti JESUM Chri- v. 4.
stum. Sic ut cum dicitur: *ut cognoscant te solum DEUM ve-*
rum,

In hunc locum, istud dicatur de tota Trinitate, ut interpretatus est Hugo Cardinalis, & cum dicitur: *Et quem misisti JESUM Christum; dicatur de Filij Humanitate.* Et causa est, quia ista terra viventium, quæ est ista Sacrosancta Humanitas, fluit lac & mel, quæ est promulsis quædam deliciarum celestium, quæ largè exundant ad animam in excelsa contemplatione beandam. Atque hæc de objecto sufficient.



Caput III.

Perpenditur an circa Modum contemplandi idonea regula sit, initium facere Orationi spontanea suspensione trium facultatum internarum, generatim sumptarum, dum Homo, quoad ejus potest, abstinet ab exercitio Imaginationis, Intellectus, & Voluntatis, ut sic quietem ingrediatur.

I.

Secunda lex, quæ tironibus Contemplationis, multum negotij facessit, ad Modum contemplandi pertinet. Contendunt enim Magistri isti; ad talis actus perfectionem necessarium esse ponere omnes imagines, omnes intellectiones, affectus omnes; aut saltem illos non excitare: hærendo tantum, ut supra jam insinuatum est, coram DEO fide quadam simplicissimâ, non spectando aliud, quàm transigere tempus cum ipso in silentio, haud aliter quàm qui scit se amicum habere præsentem, & hoc uno contentus est.

Est